


ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



improbos caedi-
[mus!
ade ad undas Sty-
[gias!
m promisisti civi-
[bus!...
amplis cum divi-
[tis!...
s directo ad infe-
[ros,
estiterunt stolidi!

ni faciunt, ut eum
confidant, sed ex om-
nibus ROMANI prori-
omanorum concursu
abuntur).

ribus vigor novus,
ortes ut veteres
ram militiam.
istoc nostro saecu-
[lo?
cus fecisset Hanni-
[bal,
Gensericus tempore,
dissemus iterum!...
ros fregerunt moe-
[nia,
o sapientissime.

ARI, Sponsor.

LOTTIS VAT CANIS.

NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus

Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes filiae in Italia praeter 200

...

Sedes filiae apud exteras gentes:

In Gallia. - Parigi, Lione.*In Hispania.* - Madrid, Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borias Blancas, S. Coloma de Queralt, Valls.*In Helvetia.* - Lugano, Chiasso.*In civitate libera Flumana.* - Fiume.*In Aegypto.* - Alessandria, Cairo, Porto Said, Mansourah, Mit Gamr, Tautah, Beni Mazar, Beni Souef, Fayoum, Magagha.*In Turcarum imperio.* - Costantinopoli.*In Asia minore.* - Smirne, Adalia.*In Syria.* - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli.*In Palaestina.* - Gerusalemme, Caiffa, Giaffa.*In insula Melita.* - Malta.*In Aegeo mari.* - Rodi.***Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.***

Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quo^d sequitur:

JOSEPHI FORNARI Communia vitae. Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,10.

JOSEPHI FORNARI Fridianus et **Francisculi prandum**, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,50; ambae lib. 2,60.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. - Si tegumento solut. lib. 3; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 4.

I. B. FRANCESIA Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticae. - Singulæ lib. 1,50.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,50 pro singulis exemplaribus.*)

Sociis

ta venum dantur,

iae ad latina col-
is, *De valetudine*dium, Milesiae
endis. – Singulaeres. – Si tegu-
lo, lib. 4.

maticae. – Sin-

erit publici cursus
ibus).

Ann. IX.

Romae, Mense Decembri MCMXXII.

Fasc. XII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 *ante solvendum rectoque tra-*
mite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.

SOCIIS ET LECTORIBUS**COMMENTARIIS NOSTRI HUMANISSIMIS**

Annus vitae nostrae nonum ad exitum properat. Novum ingressuri, eum bonum, faustum, felicem sociis et lectoribus nostris ex animo omniamur, eosque certiorem facimus nos inconcussa fide, inter difficultates licet undique prementes, incoepitum quod cum magna spe ingressi fuimus, usque ad extremum exequuturos.

Ad proximum numerum delegantes peculiares rationes quibus anno MCMXIII munera et proposita nostra absoluturi simus, iam hodie eorum, quos amicos appellare malumus, sollicitudinem et fidelitatem invocamus, ex quibus fiat ut magis magisque commentarius noster per orbem universum, ut ei soli con-

tingere potest, diffundatur. Pretium consociationis, quod apud diaria et commentarios omnes in dies crescit, nos et in proximo anno immutatum relinquemus, iuxta normam, iamdudum inventam, quae est prouti sequitur:

Pro Italia	lib.	12 —
» Gallia, Helvetia,		
Belgica	franc.	15 —
» Hispania	peset.	15 —
» Batavia	floren.	7,50
» Anglia	shell.	12,50
» Civitatibus Foed-		
deratis Ameri-		
cae Septentrio-		
nalis et Canada	doll.	3 —
Pro ceteris nationibus erit summa Gallicos francos 15 exaequans.		

Qui autem per civitatis alias pecuniam mittet, pretium idem aequabit cum permutationis pretio, die transmissionis vigente. Praeterea qui acceptilationis testimonium velit, pro eodem addat publici cursus necessarium pretium.

Sociis autem Italis, sacerdotibus praesertim, novum quid offerimus, gratum iis acceptumque procul dubio futurum, *subnotationem scilicet cumulativam*, prout vulgo dicimus, cum commentario *Palestra del Clero*, qui Rhodigii bis in mense prodit, et est Catholico clero perutilis, quippe res omnes optime attingat easque aptissime disponat, quae alicuius momenti ipsi esse possint tum in pastorali opere suo, tum etiam in civili administratione et commercio. Annum pretium eiusdem commentarii est libellarum 15; qui libellos 24 ad nos miserit, ipsum et ALMAM ROMAM nostram per integrum annum MCMXXIII habebit.

A sociis denique et lectoribus cuiusvis nationis hodie non discedemus, quin eos, qui nondum rationes suas cum administratore nostro composuerint, - et heu! non de hoc anno tantum nonnulli eas componere debent! - flagitemus, ne debita sua solvere remorentr; iustiae debita... Atque etiam cogitent aliam nullam nos fontem habere, ut vitae nostrae lympham hauriamus. Nobis igitur quamprimum faciant satis!

A. R.

DE LATINA LINGuae STUDIO APUD SEMINARIA NOVAE ANIMADVERSIONES

Iosepho Fornario, Alexander Aureli, s. d.

Quod me tua « De latinae linguae studio apud seminaria » elucubrata ac expolita oratione nonnullis laudibus cumulasti, tibi, amico suavissimo, quam plurimas gratias ago, corde maerens quod easdem gratias tibi aliquando referendi in me nulla sit facultas.

Rationi ac viae quibus cursum latini sermonis explanas, nil addam; omnia enim, quae tua virtus, tam enucleate, tanta doctrina atque prudentia explanata sunt, ut aliquid addere, detrahere videri posset. Votum quoque a te orationis finem faciente significatum, dignissimum puto, quod in lucem vitamque traducatur: « Ceterum vero - tu scribebas - et latinae sapientiae maximum hospitium velim Romae in Almae nostrae huius matris ulnis constitutum ». Evidem recte! Discipuli enim qui philosophiae lauream vel lyceale diploma consecuti sunt, illud maturitatis gradum attigerunt, super quod latini sermonis moles tota ad fastigium educatur; sed si a bonis latinae sapientiae scriptoribus deducantur, tum opus inchoatum consenescit ac non longo intermisso tempore, ipsa desuetudine in pessum ruit.

Nostra aetate multi viri docti ac sapientes magna in sollicitudine sunt de sorte ac vita latini sermonis, contra quem non solum rudium ac impolitorum hominum obsoleta iacula diriguntur, sed etiam novum quoddam ac praesens. De *Esperanto* loquor, qui *Esterantus* quum oratio, ut ita dicam, ad omnia sit exarata, in sedem ac provinciam latini sermonis immittitur, ita ut non solum eo uti debeant in rebus negotiationibusque, sed etiam in ipsa sacra liturgia.

Sed maximum detrimentum latini sermonis in hoc est, quod nostra aetate, ex eodem aegre comparari possunt ea, quibus dolet natura negatis. Apud maiores nostros latinam linguam optime callere, tum laudi cum utilitati fuit, atque latini sermonis cultores tali in honore habebantur, iis beneficiis cumulabantur, quibus cum dignitate ac copia vitam agerent; nostris vero temporibus eos plerique aspernantur, ac velut homines multae antiquitatis habent, quam maxime digni, qui tota vita in scholis doceant, ea tamen lege qua necessaria vitae exinde aegre lucentur.

Papae, haec sunt praemia!

Iis vero qui ad iuris canonici, vel theologiae studia se contulerunt, officia ac beneficia omnia patent. Sed graviora dicam, ea vero sine ira et sine odio: plures sunt sacerdotes, qui sacellis addicti vacationes ac muneris abdicationes omnia noverunt, iisque per pauca doctrina nulloque impendio beneficia minora ac maiora facile adipiscuntur; sed qui philologicas res contemplati sunt, postquam totam pene vitam in litteris tradendis insumpserunt, aerumnosam senectutem, non decora paupertate comitante, pae oculis habent.


« Latinae linguae studium quid tibi proderit olim? » ex se querunt discipuli non tantum cultui atque humanitati animum advertentes, quantum iis, quae vitae utilitatem afferunt. Quum vero haec disciplina nostra aetate ad utilia vitae minus apta videatur, eam despiciunt atque contemnunt.

Quae quum ita sint, ne irascaris, amice, si ea rudius exposui; non est enim ad rem verum fucus illinere, ac si hisce positis tota tua oratio iaceat, ex iis quae supra commemoravi requirenda est causa. Indulgeas, amabo, quum enim tu latini sermonis dignitate captus, omnia quae ad sapientiam cognitionemque profecerint nobilissimo stilo exposueris, ea quae expleta atque cumulata natura desiderat, prorsus seposuisti.

Sed haec rerum conditio facile in semi-nariis immutari potest. Si enim latinae linguae studio absoluto, tyrones quodam academico gradu honestabuntur atque hoc eodem gradu iis iter explanari posset ad bene beataque vivendum, quod prius ii aspernabantur in deliciis habebunt, quia homines utilitatem in rebus omnibus requirunt, omniaque utilitate metiuntur. Perfer et obdura; hoc tibi proderit olim; sed quid perferendum, in quo obdurandum, si labor nihil profuturus sit?

Quibus non obstantibus, beata spes vulnus nobis ostendit; Petri enim gubernacula ille Pius regit, qui quum intellectum tanta studiorum mole nobilitaverit, posterrati prospiciens ac consulens, talem ac tantam discendi vim in alumnis seminariorum excitabit, ut omnia fausta de latina lingua ac de omni doctrina ominari possimus.

Vale.



DE SEPULCRI SANCTI STEPHANI INVENTIONE

« Latuit tanto tempore.... processit quando Deus voluit ». Haec verba, quae sanctus Augustinus olim in medium retulit, ut animi sui gaudium promeret, ob Sancti Stephani reliquiarum inventionem iure et merito referenda esse reputabo, hoc tempore, quo homines, divino veluti Numine afflati, eiusdem sanctissimi Protomartyris sepulcrum, elegantibus veterum artium spectatoribus, restituerunt.

Ne autem te, candide lector, diu anciitem teneam, paucissimis me absolvam.

Optime nosti, quo commodior atque securior ad urbem Ierusalem a mari aditus pateret, vias ferreis axibus constratas quandam virorum societatem deducendas curavisse. Sic mutua commercia alacrius

prosperantur, et peregrini facilius ad gloriosum Iesu Christi sepulcrum pervenire possunt. Sed antequam via ad montes accedat, obvius est omnibus vicus, cui est nomen *Betgemal*. Qui locus pauperissimus equidem est, rerum autem antiquarum, omnibus sacrae veteris historiae thesauris ditissimus.

Hic enim hospiti signatur, haud procul a via, Samsonis sepulcrum, multis terrae aggeribus compositum; et ad eius frontem parvulus est fons, ad quem ferrunt Philippum diaconum adiisse, ut celebrem Aethiopiae Reginae Candacis ministrum baptizaret; atque in extrema occidentis parte Philistinorum colles adsunt, e quibus identidem ferociores illi populo Dei hostes impressionem faciebant, eosque in servitutem, sic ferente Dei voluntate, redigebant. Insuper montes quoque adspiciuntur, unde arca Dei, a Philistinis remissa, ad Israel felix redibat, et praesentia sua, novam felicitatis aetatem praesagiens, populum solabatur.

In hac fertilissima olim regione, haud ita multo ante, Salesiana familia, Ioannis Bosco Taurinensis discipula, domum pueris alendis aperuit, ut adolescentulos non dictatis modo in umbra erudiret, sed rusticis laboribus duratos ad rem agrariam, ad temporum rationes exactam, publice effingeret.

Tellus hinc ardua celsos continuat colles; usque ad clivum, qui late rebus omnibus nitescens, satis amplis et commodis Salesianis aedibus hilaratur. Hic electissima vitis crescit, hic segetes multa frumenta daturae, quas pueri, sub optimorum magistrorum praescripto, apte colunt. Olivae mirum in modum ad agriculturarum spem crescent, nisi volentibus obstat impia atque ferox Turcarum potentia. Turcae enim suopte barbaro ingenio rapti, omnia destruunt, omnia diruunt ac perdunt. Quamobrem incolae iamdiu, parvo contenti, in diem parcis-

sime vivunt atque humili in socordia vitam agere consueverunt. Namque tellus illa, nullo quasi poscente, omnia ferre solet. Re enim vera, ipsa Salesianorum industria est omnibus testimonium regionem omnium rerum esse divinitus feracissimam. Sit in exemplum oliva. Egomet vidi olivas nonnullas adeo fructibus oneratas, ut scinderentur in diversas partes, nisi hinc inde baculis sustentarentur. Adeo est illa tellus divinitus fructuosa, ut « Baccae cum ramis semper frondentis olive » adpareat, et veterem soli abundantiam caelitus promissam fateatur.

Una autem et veluti peregrina adest, medio in deserto tamquam *oasis*, haec Salesianorum domus, quae est viatoribus solarium atque tutamen.

Antiqua haec regio omnino deserta atque inculta diu permansit, ubi spinae, lappaeque tribulique crescentes, omnia consumpserunt. Et incolae, casis undique relictis, hoc illuc dilapsi, quietiores regiones petierunt, et Betgemal citius in omnium oblivionem recessit. Salesiani, opportunam nacti occasionem, illuc se contulerunt, et, omnibus admirantibus, eam regionem in novam formam redegerunt, eamque ad antiquam rerum prosperitatem revocarunt. Et, temporibus nobis propriis, pia doctorum aemulatio renascitur, opere praesertim religiosorum hominum, vetustissima illa monumenta conquirendi, quae, aetate prima Christianorum, in Sanctorum obsequium fuissent confecta.

Inter alia, quae divino prorsus ingenio detecta sunt, est utique adscribendum sancti Stephani sepulcrum, quod historia, in illa regione olim constructum fuisse, avertisse testabatur.

Turcae vero omnia, vel ultimas arborum radices illius regionis destruxerant. At nova rerum adpetente ratione, positisque rebus bellicis, suasoribus ipsis reliquias illis viris, complures viri doctissimi rerum antiquarum memoria innixi, Bet-

gemal novissime petierunt, et divinatione quadam perducti, subversis aliquot mobibus, ruderibusque egestis, reliquias templi Stephaniani, quod sancto martyri dicatum fuerat, postquam, ut S. Augustinus scripsit, quomodo fuerat revelatum sic et inventum est.

Vel inde ab anno huiusc saeculi decimo sexto, quum Salesiani in magna aedium area ad meridiem aliquot sibi arbores serere vellent ad umbram captandam, dum terram effodere incipiunt, marmorea quandam rudera inveniunt. Ad haec maiora in dies testimonia deteguntur, quae mirum in modum doctorum mentes, cupidinemque extollunt. Spatiosum enim pavimentum musivo opere mirifice confectum, nitidae insuper apparent columnae, et multa marmorea rudera. Interea exarsit teterimum omnium bellum, in quo nuperrime omnes interfuerunt: Turcarum feritate nostri in alias regiones captivi adstringuntur, et iterum magnum est factum de hac re silentium. Positis tandem animis rebusque quiescentibus, magna denuo exoritur trepidos inter discussio doctos. Omnes tamen in id facile consentiunt, Betgemal idem esse atque *domum Gamalielis*, quae antea vocabatur *Cafargamala*, ex *Cafr*, domus, et *Gamala*, quod est Gamalielis nomen, ritu hebraeo *talmudico*.

Templum, de quo scripsit sanctus Augustinus, a Chosroe, Persarum imperatore, saeculo septimo, in Christianorum Nomini odium, funditus dirutum fuit. Omnes tamen in hoc facile consentiunt, ibi *martyrium* fuisse, sanctoque martyri dicatum existisse, eo quod ab omni antiquitate mirum in modum Iuvenis colebatur, qui oculos tollebat ad astra, Deumque orabat supplex, ut suis occisoribus veniam daret. Sunt ad hanc diem quatuor sepulcra, ubi singulae martyrum exuviae uti antiquitus, in pace Christi omniumque veneracione compositae erant.

Illuc, rerum novitate ac religione, undique nunc ab Urbe Ierusalem convenienter atque a multis dissitis locis, ut gloriosorum martyrum sepulcra divinitus iterum detecta, Deo gratias agentes plurimum venerentur.

Ipsi pueri, qui illic ad rem agrariam atque ad pietatem informantur, superiorum exempla secuti, incredibili laetitia gestientes, diem facilem auspicantur, qua magnum iterum templum aedificetur ac singulari magnificentia exornatum sit omnium liberalitate, posteris exemplum.

Sic in urbe olim sancti Stephani, iterum civibus atque advenis nostra in eum pietas pateat et ne monumentum desideretur! Utinam cito haec olim humilis regio, tot iterum sacris monumentis decorata, in dies ab artium antiquarum cultoribus amantius invisatur, et, quod est in votis, novo templo exornata, religione hominum crescat. Incolae autem circum Arabes, abditi erroribus, in unum consensem coalescentes, ad sapientiam catholicam redeant.

I. B. FRANCESIA.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

Nuper nata nomina latine redditia.

Jacobus Tasset Hermanno M. Iacobelli s.

Quae singuli populi saeculaque proprium suum sub adspectum subiiciunt, eadem sermo latinus, quum temporibus sit universis atque gentibus communis, generaliter et summatim ex alto considerat. Itaque, quod bonus docet interpres Hieronymus: « Non verbum verbo reddere, sed sensum e sensu transferre », ea lex et norma linguarum accepta peritis, accommodanda Latio sic est (quod Italias, Asias,

Americas capit complures), ut summas, ex inferioribus Europaeis recentibus, aptas orbi formas, mens latine cogitans instituat.

Ad id autem exemplis illustrandum, ii sensus sapienter a te sunt electi, quorum dumtaxat situs conor verbis hisce singulis metari: *Vehicula - Birotus - Metallica - Stragulum - Dulciarium - Sortes*.

AUTOMOBILISMO. - Ultroneus ac spontis suae motus, quum machinarum non sit, sed animalium, *ultra mobilia* iumenta et baiuli, si quae, forent vehicula. Sed quae *viribus internis* moventur *inanimes*, ea non proprio magis egent vocabulo, quam quae cum quatuor rotis, aut mulo sunt, equo, bobus, asino iuncta. Sententias efficer facile potes: *Vehiculorum expositio motores intus includentium*. In ea via (ferrea) *tractorii* loco *motor carrus* ceteros currus agitat. Prostant: *rheadae* ab octonis ad equos quadragenos; *plaustra* a senis ad denos.

CICLISTA. - Iucundam meninisse iuvat, quam *Vox Urbis* edidit fabulam. Illa enim « *Birota velocissima* » mulieri est quam machinae similior. Birotus birotam sequitur, et vice versa. Nam sponsa recentior: *Ubi tu birotus, ait, ego birota*.

CHINCAGL'ERIA. - *Metallica* prostant, ubi *metallica supellex* venit.

LINO'EUM. - *Stragulum* aiunt esse ex *corchoro capsulari*, oleo linteo et suberis pulvere illitum, quod aquam excludit. Singulariter inventa privatis licet verbis notari fictis.

BOMBONIERA. - *Dulcifer* locellus, quum dulcia contineat, *dulciarium* vocari potest, tanquam *dulciarius* et eius *uxor dulciaria*. Sic ex armis *armarium*. et ex aqua *aquarium*.

LOTTERIA. - *Ubi sortes* ducuntur.

Res universe latinus interpres eloquuntur, non tributim vocabula.

Vir humanissime et boni lectores avete.

Socius Thomas Marius Pavese, Abel-lensis, pro italicis vocibus *Automobilismo*, *Bomboniera latina* proponit: *Automobilis studium, autocursus, et pulchralium theca*. Quaerit insuper quomodo *statistica* appellabitur.

EX POLONIA¹

III.

Ut idem persequear argumentum, multa euidem mihi obvia sunt, quae felicia admodum saecula Polonis speranda esse portendunt, si mens eis non fuerit levis. Adest h̄ic civitas operaria imprimis atque industriis, cui est nomen *Lódz*, quae merito inter gentes « *Poloniae Manchester* » appellatur. Pleraque enim iuventus, quae in patria moratur, facilem admodum eumdemque abundantem sibi victimum quaeritat ex re textili. Omnia h̄ic pariter igni et electro fervore videbis; et multae numerantur aedes, in quibus, ut recte dicere possis: *Purpura nempe tibi pretiosaque texta dabuntur!*

Ipsa civitas ad sexcenta et amplius millia hominum assurgit, et industria, commerciis, atque opulentia cum celebri quaue urbe de pulcritudine decertare potest. Utinam vero populus sit propositi tenax atque in re sic bene incopta per severet, ut nullis unquam deterritus periculis, in opere, quod sic feliciter est divinitus adgressus, ad finem usque induret!

Nos nunc alia magna manet civitas, *Cracovia*, quae suis olim turribus illustris regibusque clarissima, vel sub externo dominatu in immensum crevit. In clivo amoenissimo, qui urbi supereminet, est Ecclesia civitatis caput, multis divitiis af-

¹ Cfr. fasc. sup.

fluens, antiquitate gloriosa virescit. Memoratu dignissimum est vetus regium Palatum, quod novo cultu hodie exornatum et deiectis aedificiis adspectum foedantibus, in pristinam formam restituendum curavit, nostris temporibus, Franciscus Iosephus, Austriae imperator, ultimus stirpis suae. Mille et amplius conclavia, vera vetustarum artium monumenta, post diuturnam oblivionem aequis aestimatoribus ille reddidit.

Civium commoditati et valetudini prospexit. In spatiosa et principe civitatis area Poloniae duci, qui cum fortissimis suis copiis saeculo decimo sexto magnum de Borussiam victoriam reportavit, equestrem statuam ex aere cum basi anaglypta posuerunt Poloni, auctore viro, qui, subversis imperiis, primus rebus patriae liberae imperitavit, atque summa laetitia gestientes dedicarunt. Quum Guilelmus ille imperator, cuius arbitrio mox omnia regebantur, hacde re, tamquam de suorum infamia, apud Franciscum Iosephum acriter quereretur, hic, indignabundus, superbe respondit: « Quid dicam? Et alias mihi historia amaritudines narrat! Nostrum sit, Polonus muneribus cumulare ».

Athenaeum Cracoviae perantiquum idemque celebre est, praesertim ob sanctum Ioannem Cantum eius alumnum, et paulo post doctorem. Huius sepulcrum singulari cultu exornatum, in templo sanctae Annae dicato, splendidiore forma est exstructum, et magna civium frequentia ac devotione celebratur.

Bibliotheca libris est et codicibus cum autographis admodum instructa, priscorumque nummorum serie aucta, atque auro, picturis, opere musivo optime decorata.

At prae ceteris est collectio munierum admiranda, quae in ipsa aede maxima honoris gratia atque venerationis frequentissime invisit. Illic enim plurimae ac ditissimae corona regum auro gemmis-

que pretiosis contextae, quibus reges olim exornabantur quum regnum auspicabantur. Quae rerum divitiae! Quod in vestibus, in palliis tunicisque ornamentum atque artificium, vix materiae pretio superatum!

Adsunt et regum sepultra, ubi pro loci religione et dignitate, cum laudibus conditi sunt, qui inter vivendum Deum ac patrionem coluerunt.

Ast age, longa via est.

Paucis me absolvam de *Wilna*, etiamsi olim caput Lithuaniae fuerit. Ab eius athenaeo exiit clarissimus ille vates, qui patrum nostrorum memoria, Polonorum nomen ingenio atque operibus decoravit. Adamus Michievichz hic est, quem Roma nuper lapide honestavit et scriptis.

Leopolis haud est silentio praetereunda, quoniam ad Orientem regni diu fuit patriae salus atque defensio. H̄ic ortus est fortissimus ille vir Ioannes Sobieski, qui, atroci tempore, nullis periculis deterritus, armis animoque praestantissimus, Polonis opibus regnum restituit, atque Vindobonam a Turcarum copiis obsessam, audacia atque fortitudine liberavit.

De Posnania, quae acrius Borussorum dominio vexata, nunc tandem in unam iterum gentem coalescit, plura mihi essent dicenda, sed, ne infinitus sim, occasionem nactus, alias dicam.

Verum ob ipsum Polonorum ingenium et rerum naturam, de celeberrimo augustae Matris sacrario vel obiter delibem, ad quod omni tempore Poloni, ipsa exterritorum dominatione saeviente, frequentes se conferebant, eamque Poloniae Reginam confidentissime invocabant. Ipsa enim suffragante, Poloni diu atrociter divisi, religione autem concordes, post tot labores, ludibria ac sanguinem, in libertatem se iterum vindicarunt. Quare et ipsi testantur illud verissime dictum, neminem ad Christi Matrem confugere quin voti compos evadat. Spes itaque coepit late illucescere,

futurum ut Polonia gens, viribus coniunctis, ad veterem gloriam, Deo adiuvante, adsurgere possit.

Sed de nova Polonorum republica, de gentis industria solique feracitate, quoniam me scripturum esse confido.

IOAN.

FLORALIA

Pauca sint hodie **de gelsimino**.

Citerioris eius Hispaniae, quam veteri nomine Laletaniam, recenti autem Cata-launiam vocant, flos fortasse ab animae suavis imae prodiga expiratione, exanimato similis et exsangui colore candidus, aestate autumnaque tempestivus, blando vocabulo ab Italibus deducto *Gelsiminum*, tum ampliori mole, tum acutiore odore a silvestri nostrate seiungitur. Virgae praeterea e pallido, scabro, duro, lignosa fibra-taque radice stabilito caudice similiter fruticantes, procerae, lenta et quo libeat flecti obsequentes, geniculatae binis ad singula genicula foliis alatae, ramulosae, medullitus, candidae funguaeque, foris tamen diluta viriditate laetiores, modo arundineos cancellos topiario textu con-vestiunt, atque scenas hortenses textili umbraculo praetendunt; modo circumfuso convexoque in fictilibus nemore viride caelum caeruleo subtexunt. Folia quoque Hispano, quam sylvatico nostrati, simillimi-
mis in divisuris latiora, obtusiora, crassi-
ora, nigriora. Quod autem in Romanae amoenitatis hortis conserta foliorum serie omnino singulare alitur gelsiminum, di- midio quam proxime superius, breviorem tubulum portendit, quina vel sena folia in stellam dividit, terna sive etiam quaterna ex umbilico surrigit, quae nonnunquam in globulum colliguntur; quinto fere die senescens non dilabitur, sed in natali ra-

ANONYMUS.

AD VIRGINEM DANTE ALIGHERIO DUCE

*Miratus, alti carminis arbiter,
Descendo tecum noctis ad incolas,
Ad regna pallentis doloris
Terrificis habitata monstris.*

mulo inarescit: post multos dies dehiscens tubulus florem alterum plerumque parit. Acrius olet: more superioris ab aestate in hiemem usque vernal, et gemella vi-riditate frondescit.

Gelsiminum Arabicum, sive Alexandrinum, sive etiam *Arabica* novo nomine *Syringa - Sambacum* Arabes vocant - frutex est Aegyptius in unum alterumve cubitum arborescens. Quamvis pollicari crassamento brevique longitudine nanus, arborea tamen duritie scindi contumax, squarosus pallidusque stipes in tenuia et longula ramorum brachiola spargitur: folia inter se adversa mali aurei, quod *Aurantium* dicunt, seu potius coronarii fruticis, quem albo flore *Syringam* vulgo appellant, foliis consimilia, tenuiora tamen ac pallidiora, nullisque crenata incisuris ramulos investiunt: e summis ramulis flores brevibus innixi petiolis ab Aprili mense ad extremum usque Octobrem erumpunt, modo duodenis, modo denis, novenis minimum foliis duplcam in seriem digestis instructi, proxime descriptis augustiores, albitudine obsoleta palliduli, parum tubulati, umbilico circa tubum fla-venti discolores, Hispani gelsimini atque aurei mali floream suavitatem odoratissimo coniuncti halitu inhalantes, more ce-terorum caduci ...

ANONYMUS.

*Ubique luctus, et furor et pavor
Miscent perenni Tartara praelio;
Per damna, per flamas et aestus
Pace carent miseri gemuntque.*

*Stupore plenus te sequor alterum
Regnum petentem, qua mala spiritus
Patrata pendunt, qua reponi
Sedibus aethereis merentur.*

*Post at volatu praepete sidera
Ad alta scando, cernere gestiens
Post mira caeli, per canorus
Laude choros, super astra, Numen.*

*Instar coronae millibus ignibus
Circum nitentis, quot video agmina
Alis coruscis, serta palmis
Texta sacris potiora sole!*

*Sublimis hymnus plenior insonat
Cum Virgo fulget candida caelum
Inter choros; dilecta Virgo
Laetitia roseo ore ridens.*

*Non sic canebat carmine praepotens
Movere doctus pectora Pindarus;
Non sic Homeri, non Horati
Musa modis bene culta lusit.*

*Num carmen isto blandius exstitit?
Num forma cuique visa venustior
Doctis poësi res decoras
Reddere, vel tabulis Apellis?*

*Bernardus almam raptus in extasim
Extollit hymnum pectore fervido,
Redditque grates, fundit alto
Ore preces, oculo irretorto.*

*Intaminatam mens pia Virginem
Natamque Nati laudat et integrum
Simul Parentem, quae fit aegris
Vena spei rutilansque lampas.*

*Hanc qui patronam poplite supplici
Non orat, alis deficientibus
Volare tentat, Diva quamquam
Saepe iuvat prece non vocata.*

*Regina Vatem, carmina sentiens,
Secum per altum sustulit aethera
Iussitque scintillare frontem
Et radiare nigrum per aevum.
Dantem sequantur Martia pectora,
Frontesque doctae; menteque conscientia
Numen inquirant, Virginemque
Rite colant velut astra nautae.*

Aquilae
ANGELUS NARDIS.

PRO IUNIORIBUS

b) *De utriusque gentis copiis.*

Romanorum potentia post superius belum Punicum magnopere creverat. Nam sub illorum dominatione gentes Italiae pace intestina perpetuo confirmatae cum ipsis ducibus in unam fere gentem coaleverant. Tum quidem temporis Italia eorum, qui arma ferre possent, certe sexenta millia habebat. Huc adde, quod Romani sine ulla controversia in mari obtinebant principatum.

Contra Carthaginem, quamquam desiderabant cives ad militiam exercitatos, mercenarii Hannibal Libyes et Hispani erant in bello exercitatissimi, qui exercitum civium usu militari facile superabant. Praeterea, quod uno continebantur imperio, magno Carthaginensis erat commodo, hoc maiori, quod exercitui praefectus erat Hannibal, dux ille praestantissimus. Rem navalem Romanorum Carthaginenses superare nolebant, ut, quum superiore bello Punico magnam partem decertatum esset pugnis navalibus, hoc bellum omne fere terrestre esset.

Hannibal, elli dux, summus fuit imperator, peritissimus rerum civilium, singulari praeditus humanitate. Et virtutem

quidem imperatoriam, quacum ex iis imperatoribus, qui antiquis fuerunt temporibus, praeter Alexandrum et Iulium Caesarem, nemo potest aequari, Polybius et Livius scriptores aequaliter laudant. Scientiam autem rerum civilium declaravit post secundum bellum Punicum, quum ita administrabat rem publicam Carthaginensium debilitatam, ut Romani ducti invidia apud Carthaginenses efficerent, ut Hannibal eiiceretur in exilium. Quem etsi Livius in libri XXI capite 4, ubi Hannibalis describuntur mores, hominem crudelem nominat atque perfidum: « perfidia fuisse plus quam Punica », Polybius, cui plus fidem habemus, plane dixit nunquam ab Hannibale crudeliter factum esse. Se amantissimum patriae praestabat non solum in bello contra Romanos, sed etiam in exilio. Summa erat innocentia, simplicitate, temperantia, neque alienus a litteris. Ipse Graece loquebatur, et libenter philosophorum Graecorum intererat sermonibus.

(Ad proximum numerum).

A. HABERL.



ANNALES

Bellum Graecos inter atque Turcas - Lausonensis conventus.

Postquam, iuxta ea quae Mudaniae statuta fuerant, Graecorum copiae ab orientali Thracia deductae sunt, Lausonensis conventus die XXI mensis Novemboris est congregatus, qui de pacis foedere Graecos inter atque Turcas certas leges esset prolaturus. Paucos ante dies supremi Angliae, Galliae atque Italiae moderatores colloquium simul habuere, in quo firmum positum est fundamentum perfectae pro his populis aequalitatis circa res omnes de quibus esset agendum.

Lausonii, Turcae sibi fines repetitive-
runt qui cum Graecis anno MDCCCLXIII
pacti fuerant, et populi scitum postularunt
de Thraciae occidentalis possessione. Prae-
terea ut Lemnos, Mithilene, Chios, Samos
et Icaria insulae sui quaeque iuris fierent; Imbrus autem, Tenedos, Samothrace Turcicis addicerentur; denique ut Turcarum
imperii debita pro portione dividerentur,
iuxta territorii magnitudinem et diciturum,
inter populos qui Turcicam quandam
regionem sint occupaturi.

Hisce rogationibus, neque id mirum,
valde Graeci obstiterunt, opera praesertim
Venizelos illius, qui suae civitatis legatis
est praepositus, atque decernat adhuc, praesertim
ut fines illic saltem permaneant,
ubi positi deinceps fuerunt, nempe anno
MDCCCCXV.

Disputatum quoque est ut oeconomium,
idemque liberum, ostium ad mare
Bulgaris concedatur. De quo argumento
compositio his terminis definiri posse videtur,
ut huiusmodi caput ad Dedeagasc
portum stabiliatur, posito hinc inde tri-
ginta chilometrorum spatio, in quo nul-
lum militare munimentum erigi liceat,
neque exercituum firmam sedem ponere.
Huius similis via ab Adrianopoli ad Pon-
tum Euxinum constituenda proponitur.

Lausonensis conventus, in varios coetus distributus, in disceptationibus suis
dum scribimus perdurat.

* * *

Turcarum et Graecorum res civiles.

In superiore eventuum nostra recen-
sione diximus Graecos in cives suos sae-
vire, quos cladum in recenti bello reos
accusarent. Ita factum est, ut compendiario
iudicio, in quo sentibus negata quoque est
facultas suos testes ad purgationem indu-
cendi, capititis damnati fuerit Gunaris, Stra-
tos, Protopapadakis, Theotokis, Baldazzi,

Hadjanestis, quondam publicarum rerum
administri, et ad ergastulum Gudas et
Stratigos, alter navalium, alter terrestrium
copiarum supremus dux. Prolatum iudi-
cium statim poena subsequuta est, neque
infelici Gunaris pars, iam iam per mor-
bum morituro. Huiusmodi ratio, civili po-
pulo omnino indigna, omnium, quos terra-
sus:inet, execrationem excitavit; quinimo
Anglicus apud Graecos legatus, caedem
conquestus, sedem suam dereliquit.

Angorae autem Turcicum « nationalistarum » gubernium Mahumetum ordine
sexturn, Turcarum Caesarem, qui sponte
officium suum non abdicabat, imperio pri-
vavit, et protestatus « Califi » in posterum
unam futuram esse animorum potestatem,
ad hoc officium elegit principem Mahu-
meti haeredem Abdul Medgil Effendi, dum
ille Anglorum hospitium quum impetrasset,
Melitam in insulam loricata Anglicana
navi confugit.

Kalendis Decembribus MCMXXII.

POPULICOLA.



ROMA SACRA

Ss̄mi Dni N. Pii PP. XI allocutio habita in S. Consistorio d. XI mensis Decem- bris MCMXXII.

VENERABILES FRATRES.

Vehementer gratum est, quod, postquam,
inscrutabili Dei consilio, per vestra suffragia
in hac Apostolica Sede constituti sumus, vos
demum hodierno die coram congregatos in-
tueri atque affari Nobis licet. Atque ante
omnia volumus personet in hoc consessu de-
sideratissimi decessoris Nostri Benedicti XV
praeconium, qui quidem difficillimo, si quod
aliud, tempore Ecclesiam ita gubernavit, ut

non modo bonorum sibi plausum, sed adver-
sariorum quoque admirationem conciliaret.
Etenim quum homines inter se odiis flagra-
rent, ipse, suadere pacem perseverans, cari-
tatis suae beneficiis orbem terrarum replevit.
Cuius profecto memoria in benedictione erit,
eamque Nos pie sancteque conservabimus,
reputantes praesertim quantum ille magnis in
rebus fidei Nostrae tribuerit. Gravissimum
Nos quidem suscepimus onus quum in eius
locum successimus; verum, in multis quas
hoc haud longo spatio experti sumus, mole-
stiis ac difficultatibus, vestra primum et pie-
tas et navitas et prudentia, tum episcoporum
ceterique cleri et christiani populi erga Nos
observantia et fides, pluribus egregisque te-
stata significationibus, mirifico sane solacio
Nos affecerunt. Haec ipsa vero ad Nos re-
creandos etiam posthac praesto Nobis fore
confidimus; nam ex hoc Apostolicae digni-
tatis fastigio universitatem generis humani
circumspicientes, ubique cernimus veteres do-
lorum permanere causas, et eas novis malis
cumulatas novisque periculis.

Atque ut hoc in genere graviora attinga-
mus, valde animum Nostrum etiamnunc sol-
licitant res Palaestinenses, illius terrae, inqui-
mus, quam, fidei nostrae tamquam natale
solum, divinus hominum Redemptor suo et
sudore multo excoluit et sanguine consecra-
vit. Testes autem vosmet ipsi estis Venera-
biles Fratres, quantum in tuendis Terrae Sanctae
rationibus decessor Noster elaboraverit,
cuius studiosae sollicitudinis praeciarum exstat
monumentum oratio illa, quam, die 13 mensis
Iunii anno superiore, in Consistorio habuit.
Iamvero quum Nationum Societas proxime,
ut audimus, in sollemni conventu de Palaes-
tinæ rebus denuo actura sit, decessoris No-
stri cum expostulationem tum propositum No-
stra facimus, « ut quum maturitas Palaestinæ
ordinandæ venerit, Ecclesiae catholicae chri-
stianisque universis sua ibi salva et incolumia
iura sint ». Quin etiam hoc addimus, velle Nos,
pro conscientia apostolici officii, Ecclesiae
catholicae ibidem iura - quando ceterorum

rationibus tam manifesto praestant - sarta teataque esse non solum prae hebraeis atque infidelibus, sed etiam prae acatholicis sectis, cuius illae gentis nationisque sint.

Vehementer etiam anxios Nos habent alii Orientales populi, quorum condicio, maximis motibus recenter perturbata, incendiis, caedibus vastationibusque ingravescit usque adeo, ut tam egenis ac paene desperatis rebus nemo satis mederi posse videatur. Tantam ut levaremus miseriarum molem, omnia equidem, quae in Nostra potestate essent, studiosissime experti sumus, praetereaque Nostrum in Rumenia Apostolicum Nuntium misimus Constantinopolim, qui novis Orientalium calamitatibus, quam uberrime posset, opitularetur. Utinam omnia ad iustitiae et caritatis legem ibi quam primum componantur, et regiones illae pace ac tranquillitate ordinis aliquando potiantur, redeantque ad illam temporum felicitatem, quum et opum abundantia et clarissimorum hominum sanctitate sapientiaque florabant; quod, ceteroqui, haud plene impetraverint, nisi ad Ecclesiae Matris gremium, unde in eos tam late fructuosus communionis atque humanitatis vigor manavit, sese receperint.

At non minore angimur cura si ad Russiarum regiones oculos convertimus, ubi non solum religiosa civilisque libertas cohibetur, sed etiam miserrimae multitudines contagione atque inedia adhuc intereunt, in iisque potissimum qui innocentiores sunt aut imbecilliores, ut pueri, ut feminae, ut senes. Quodsi nemo, qui humanitatem non exuerit, tam tristia videndo non doleat, profecto communis populorum Parens penitus debuit commoveri. Nos igitur omnia illa incopta misericordiae plena, quae proximus decessor Nobis persequenda quasi testamento reliquerat, continuavimus, atque adeo, quantum licuit, amplificavimus, quemadmodum auctae necessitates postulabant. Quum vero tam immensae rei facultates non sufficerent Nostrae, catholicos, atque etiam ceteros omnes, semel iterumque appellavimus, et quidem tam felici exitu, ut

eorum liberalitas Nobis adhuc fecerit continenter largiundi potestatem. Nostis autem aliquot egregios viros, missu Nostro, interminatas illas peragrare regiones, ut egenis victum, vestitum, medicamenta suppeditent - idque nullo personarum discrimine et sola dumtaxat necessitatis ratione habita, - memor res tamen officiorum, quae *domesticis fidei*, ut Paulus docet, debentur.

Huiusmodi caritatis exercendae rationem profecto, Venerabiles Fratres, veteri more institutoque Romanae Ecclesiae secuti sumus, quam quidem Ecclesiam Ignatius Martyr, in hanc quoque sententiam, *Praesidem caritatis verissime praedicare potuit; et hanc ipsam laudem sonat Dionysii Corinthiorum Episcopi ad Soterem Pontificem epistula, admirationis plena gratique animi erga Ecclesiam Romanam, propter beneficia gregi suo, maximeque Confessoribus fidei, in summis angustiis amantisime collata.* Hic enimvero, de quo loquimur, caritatis principatus principatum consequitur dignitatis et gubernationis; idemque existit in Pontifice Romano ex conscientia ipsa paternitatis universalis, quae, cum a Deo manat, *ex quo omnis paternitas in caelis, et in terra nominatur*, tum a Iesu Christo Pontifici collata est in Petro iis verbis: *Fasces agnos meos, pasce oves meas;* quae verba ad omnes pertinent, qui vel in grege iam sunt, vel ad ipsum destinantur donec fiat unum ovile et unus Pastor.

Iamvero, quemadmodum egentioribus filiis opem pro facultate attulimus, sic omnibus conciliare summa contentione studiuimus pacis munera; pacis, inquit, illius, quae, a decessore Nostro tam ardenter expedita, nondum humano generi illuxit. Quare rerum publicarum legatos, qui Genuam convenerant, rogavimus, attente considerarent, quam magno in discrimine populi omnes versarentur et quae essent tantis remedia adhibenda malis; Christifideles interim hortabamur ut a Principe pacis Christo felicem eius conventus exitum Nobiscum implorarent. Quoniam vero delecti a civitatibus viri ad oeconomicam Europae

condicionem ordinandam, quae his postremis mensibus multo est facta deterior, propediem Bruxellas congressuri videantur, eadem Nos invitamenta hortationesque renovamus. Ceterum huiusmodi conventus publici, quorum iam dudum alter alterum excipit, non est dubitandum quin nullo propemodum fructu habeantur, atque adeo communem populorum exspectationem periculose decipient, nisi rerum publicarum rectores inducant aliquando animum iustitiae postulata cum caritatis rationibus componere: quod ipsum, demum, est victoribus aequa ac victis profuturum.

Hoc autem Ecclesiae et Romani Pontificis ministerium caritatis atque pacis confidimus fore, Venerabiles Fratres, ut consortium hominum pacandae ac restituendae plurimum conducat. Atque talis existat opera Nostra cupimus, qualem catholico orbi navarunt duo proximi decessores Nostri; quorum alter instaurare omnia in Christo contendit, alter christianam suadere hominibus pacem non cessavit. Quae igitur fuerunt utriusque in Pontificatu proposita, ea Nos in unum sic contracta volumus, ut Nostrum tamquam signum hoc sit: *Pax Christi in regno Christi.* Sed hac ipsa de re uberior in Encyclicis Litteris, quas ad universos sacrorum Antistites propediem, quasi sollemnes Natalis Domini et ineuntis anni strenas, daturi sumus.

Restat, ut, amplissimum Ordinem vestrum suppletentes, sacrae honorem Purpureae lectissimis viris octo decernamus, qui, animi ingenioque laudibus praestantes, vel in dioecesum gubernatione, vel in legationibus, vel in officiis Romanae Curiae admodum se Nobis probavere. Hi sunt:

ACHILLES LOCATELLI, Archiepiscopus Tit. Thessalonicensis, noster in Lusitania Nuntius Apostolicus.

IOANNES BONZANO, Archiepiscopus Melitensis, Noster in Foederatis Americae Civitatibus Delegatus.

HENRICUS REIG Y CASANOVA, Archiepiscopus Valentinus ad primatalem Sedem Tolitanam electus.

ALEXIUS CHAROST, Archiepiscopus Rhedenensis.

EUGENIUS TOSI, Archiepiscopus Mediolanensis.

ARTHURUS STANISLAUS TOUCHET, Episcopus Aurelianensis.

JOSEPHUS MORI, a Secretis Sacrae Congregationis Concilii.

FRANCISCUS EHRLE, sacerdos e Societate Iesu.

Quid vobis videtur?

Itaque etc.

VACUI TEMPORIS HORA

Parcat hodie mihi Bernerius, si eum pratermitto: feriae enim Nataliae adventantes me induixerunt ut ei **cantiunculam de Christi nativitate** incogniti auctoris praeferrerem, eamque non quidem, ut eius sunt carmina, perpolitam et hilarem, sed tantam suavitatem et candorem praeditam, ut non mirum videatur quod ad eam audiendum, - quam Carmelus Giordano, musices magister, multis abhinc annis est modulatus, et per sacrum novendiale in templo S. Dominici Maioris Neapoli canitur, - civitas prope universa summa cum animi delectatione undique affluat. Ipse testis adfui; cui si spectaculum illud, theatrale nimis, parum probaretur, accidit tamen ut in illud cum magna ea populi multitudine invectum et quasi confusum me sentirem, atque in eius concentus ita intentus fierem, ut alia omnia posthaberem.

Profecto quam nunc *lallationem pueri Iesu*, - nomine ab ultima cantinucle parte desumpto - Neapolitani vulgo vocant, sacra representa sive *mysterium* aliquot ante saecula esse debuit, in templo acta, ubi, scenis licet et scenicis vestibus abdicatis, ex more tam penitus defixo, ut

nemo evellere sit unquam ausus et audeat,
permansit.

Sed ad eam proprius accedamus. Post
breve fidium antecantamentum, ea mono-
dica melodia exauditur:

Quem vidistis, Pastores? Et quae tanta
laetitia adimplet corda vestra in tam felici et
fortunata nocte? Dicite, aununtiate nobis: in
terris quis apparuit?

Alia vox dulcem in modum respondet:
Natum vidimus Infantem
Gratiosum et amantem,
Quem non capit terra et caelum:
Nunc sumendo carnis velum
Sede iacet humili.
Et caelorum turba alata
Gaudet sorte tam beata.
Hic in terris decantate,
Et concordes laudes date
Tam benigno Numini.

Declamatorius cantus iterum succedit:
Quae portenta et stupores
Care Sylvane mi, obumbrat corda
Inter tantos rigores?
Pascit cum agno lupus!
Pascentur simul vitulus et leo!
Et murmurantis rivi unda tranquilla
Currit in lactis stilla!
Serena et laeta pace
Resplendet nox in luminosa face.

Media h̄c vox harmonice vocem flectit:
Amoena lambit prata
Placida fontis unda,
Et cursu furibunda
Plaudit superba in se,
Lacte mutata;
Et laeta murmurans:
« Zephyri quam suaves! »
Gratae respondent aves
Cantando in dulci spe,
Nocte serena.

Vox altera ingeminat:
Oh vere nox beata!
Nox serena et tranquilla, irradiata

Summo, alto fulgore!
In te divino honore
Caelorum Regem Cherubim et Seraphim
Hic in terris honorant
Et dulci melodia Natum adorant.

Atque simul:
Aeterno iubilo-adorant Angeli
Et laeto sonitu-canunt Archangeli:
In terra pax.
Foecunda germine-iam terra iubilat
Rubescunt aëra-dum nova rutilat
E caelo fax.

Tum sequitur ad pastores pastorum
invitatio:

Tityre, linque gregem;
Lingue pecus, Amynta;
Amice Moeliboe (video certe et non credo)
Caeli virtus amata
Quanta stuporis signa
Operatur in Bethlehem
Fortunata et digna!
Fructu et flore foecunda
In pompa grata
Tellus decoro ornata
Resplendet, iam fugata
Omni procella;
A saeculis promissa et exspectata
Est Iacob orta stella.
Caeli dederunt rorem:
Virgo peperit Mater Salvatorem!

Reddunt pastores solliciti:
Ad praesepe festinemus
Dulci fistula cantando,
Verbum natum adoremus
Gaudio cordis exultando.
Fugit noctis umbra vana,
Cessant Orci bella insana.
Dando lilia, dando flores
Natum Regem coronemus;
Cari, placidi Pastores,
Casto corde iubilemus.
Redit micans caelo fax,
Redit caelo amica pax,
Flamma splendet viva et laeta
Et spirat amoris fax.

Tum finguntur ad praesepe accessisse.
Canit unus:

Ecce pietatis signa, ecce praesepe!
Quem genuflexa adorat
Cum venerando viro Alma puella;
Hic est desideratus cunctis gentibus,
Iesus; est illa mater, hic est custos.
Venite, animae electae, et adorate
Pastores
Sed iam dilectus Infans vult dormire ...
Silet nunc, silet
Et tecum dulci cantu respondete.

Lallatio:

Dormi, benigne Iesu, in dulci sonno,
Dormi, dilecte puer, iam dormi, dormi.
Dormi, pro te dulcis Maria stat vigilans,
Et Salvatorem natum in Te adorat.
Te solum lacrimans unda suspirat,
Dormi, non ventus, iam aura spirat,
Dormi, dilecte puer ... Sed iam quiescit:
Cessate nunc cessate
Et solum natum Deum adorare.

Pastoriciam cantiunculam chorus alto
concentu concludit:

Ave, Iesu, Verbum Patris,
Salvator mundi, Fili Mariae Virginis!
Semper sit benedictum nomen tuum Iesu!
Amen. Amen.

Post quae, rediens Dominicae Nativi-
tatis commemoratio bonis omnibus vos,
lectores mei humanissimi, fortunet.

* *

locosa

— Heus, Tucci; est ne domi pater tuus?
— Non est.
— Ecquando redibit?
— Quum pater me iubet dicere domi
non esse, nescio profecto quando sit redi-
turus.

Tucci avia nepotem adiuvat, ut optime
reddat scholasticum dictatum, quod est

ut dentium nomina alumnus percipiat eos-
que indicare valeat:

- Euge! Ut ergo hi dentes appellan-
tur?
- Canini.
- Bene: et hi?
- Excisorii.
- Optime: hi autem?
- ... Ficti!

* *

Aenigmata

I.

In sylvis orior vilescent: nomine bini
Attamen in bellis emicuere meo.

II.

Stans obmutesco, quae sim verumtamen aio,
Adstantes unquam cernere sed nequeo.

Aenigmata in superiori fasciculo pro-
posita his respondent: I (vulgo *Rebus*) In
si piens non semel ter retrur in ep ti
is = Insipiens non semel terretur ineptiis.
— II) Tellus.

IOSFOR.

LIBRI DONO ACCEPTI

Les immortelles, poèmes par JOSÉLIA. —
Parisiis edid. Eugenius Ffguière (17, rue Cam-
pagne — Première, XIV^e) — Ven. fr. 4,50.

M. FABRIS. *Regole di stile latino*. — Pata-
vii, ex off. Seminarii, 1920.

ID. *Le iscrizioni latine e italiane* — Regole
ed esempi. — Indidem, 1921.

P. IOANNES B. FERRERES, S. I. — *Epitome
theologiae moralis*. (Editio quarta; tertia la-
tina). — Barcinone edid. Eugenius Subirana
(14, via Puerta ferrisa), 1922. — Ven. peset. 7.

LEO IV

18

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA.

IV ROM. Hostes dum fortiter civitatem pre-
[mut,
Et armis obsident, et cives territant,
A sanctis invocat victoriam superis,
Leo sed Pater precibus perpetuis!
Et ipse venit cum pugnarent milites,
Addidit vultu spiritus cum vocibus.
Cadunt et subito hostes in Tiberim;
Et arma vertunt inconscii in pectora
Suorum, clamant, pugnant qui feroci-
[ter.
II ROM. Quot inter nuda perspicis cadavera,
Immensam clypēum, scutorum copiam!
I ROM. Abundans fluit sanguis super moe-
[nia,
Sanguis, quae nostri defenderunt stre-
[nue!
II ROM. Quid esset nobis si decesset Ponti-
[fex?
III ROM. Nos in desertum deduxissent Bar-
[bari,
Ut nostris accidit superius fratribus.
I ROM. Ut arbor vivit omnis quae radicibus,
Gerit Romanus nil dignum quod atavis.
Pates subegere cunctos late populos..
Et omnes contra populi nos subigant?
OMNES: Deus sed nobis auxiliator adstitit!

SCENA IV.

LEO, PUBLIUS, THEODATUS et DICTI.
Antequam Pontifex introgreditur, voces per aërem exultantes exaudiuntur:
Io! Triumphe!
I ROM. Sentis? Usque ad sidera!
II ROM. Io! Triumphe! cantent nunc et mi-
[lites,
Solebant olim legiones consulum.
I ROM. At, at, videre videor Pontificem.
Ad nos venire civibus stipantibus!

II ROM. Suo quo splendescit adspectus gaudio!
Manus osculantur cives et fimbriam,
Modo suarum vestiumque comiter!
POPULUS: Deo sint gratiae sanctis et Apo-
[stolis,
Tibique, Pater, qui tulisti auxilium.
LEO. Io, triumpha! dicitis Custodibus
Urbis novissimis, sanctis Apostolis,
Suo qui Romam tegunt patrocinio.
Iure sed merito Romanis dicite,
Meo qui venerunt alacres auxilio;
Et illi imprimis Publio, militiam
Brevi collegit, erudit qui tempore.
OMNES: Ei sit duci Romae laus et gloria!
LEO. Theodato, et Romam cinxit qui moenibus
Fortibus, septenis, et defendit sedulo.
Iuvabit ipsis, dedimus postquam Deo,
Dare et triumphum maximum cum gra-
[tiis ...
THEOD. Tibi sed, Pater, sic precatur populus
Meisque verbis vult significarier ...
Deus Te conservet semper incolumem,
Urbem qui nostram vindicasti ab ho-
[stibus,
Magnum delesti nobis infortunium.

SCENA V.

OCTAVIUS cum SOCIIS.
OCT. Avertit Deus nobis infortunium ...
Et ipse vertit perfidos in melius!
LEO. Novi quid narras? Fuit quae calamitas?
OCT. En, Pater, Constans quam mittit epi-
[stolam.
PUB. Erat qui si nuper ...
OCT. Tactus vulneribus ...
LEO. Prius sed offeres premit nunc epistolam.
(*Ad proximum numerum.*)

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

INDEX RERUM VOL. IX

(AN. IX — FASC. I-XII).

	PAG.	PAG.
Alloquia sociis et lectoribus.	1, 116, 181	
Annales.		
15, 31, 50, 67, 87, 105, 120, 140, 159, 176, 190	190	
Apologetica.		
De Ecclesiae Catholicae Magisterio in studio- sae iuventutis institutione (<i>Th. Vignas</i>)	37, 55	
Archaeologicae res.		
De nobili eaque vetustissima statione nuper inventa Romae apud Montem Marium (<i>Senior</i>)	9	
De Romanorum Provinciis, Praefecturis, Mu- nicipiis, Coloniis (<i>S. A.</i>)	46, 154	
De Eucharistiae symbolis apud veteres Chri- stianos (<i>X.</i>)	75	
De S. Petro, Apostolorum Principe, in lapi- dibus antiquis (<i>Senior</i>)	136	
De antiquis Christianorum sepulcris (<i>S. S.</i>)	165	
De sepulcri Sancti Stephani inventione (<i>I. B. Francesia</i>)	183	
Ars.		
Urbevetanum templum Eucharistici mysterii monumentum (<i>Forfex</i>)	77	
De Passionis Dominicana mysterio in civitate Oberammergau (<i>L.</i>)	111	
De variis rationibus quibus pulchrum mani- festatur (<i>G. Lepore</i>)	113	
De pulchri varietate, vulgo « gradationibus » (<i>G. Lepore</i>)	148	
Benedictus XV P. M.		
Vide <i>Carmina</i> , <i>Pius XI P. M., Roma Sacra</i> .		
Carmina.		
Semen impiorum peribit (<i>Th. Vignas</i>)	8	
In funere Benedicti XV P. M. (<i>Fr. Xav. Reuss</i>)	27	
Benedictus XV - Pius XI (<i>A. Nardis</i>)	43	
Francisco Xaverio ad Indos profecturo (<i>G. Venturini</i>)	63	
Sixto V P. M. quarto saeculo exeunte ab eius nativitate (<i>I. Fratini</i>)	64	
Ad cives ut ad coetum Eucharisticum con- veniant (<i>I. Cacace</i>)	84	
Consilio nationum pro pace Genua in urbe collecto (<i>I. Fratini</i>)	86	
Sodali Salesiano Ioanni B. Francesia a su- cepto sacerdotio annum emenso sexa- gesimo (<i>F. X. Reuss</i>)	96	
Vergilius agello pulsus (<i>F. Sofia Alessio</i>)	97	
Benedicto XV P. M. (<i>A. M. Càsoli</i>)	116	
Historica.		
Franciscus Salesius (<i>I. B. Francesia</i>)	6	
Honoratus Balzac in Urbe (<i>Senior</i>)	25	
De Vincentio Bellinio, insigni musices au- ctore (<i>Senior</i>)	41	
Franciscus Roesler, pictor romanus (<i>Senior</i>)	60	
Patavini athenaei centenaria commemoratio	64	
De septimo centenario Archigymnasii Pata- vini (<i>I. B. Francesia</i>)	94	
Post septimum centenarium celebratum Ar- chigymnasii Patavini (<i>V. Ussani</i>)	118	
De sollemni Pontificia Pompa, quae in fe- sto SS. Corporis Domini Romae ad Va- ticanan ducebatur (<i>I. F.</i>)	79	
De « Aegyra » seu fuga Mahumeti (<i>Senior</i>)	150	
Libri dono accepti.	70, 125, 195	
Librorum recensio.	71	

Litterae et Philologia.

	PAG.
Quid Apuleiana <i>Apologia de Graecia</i> de que scriptoribus Graecis nos edoceat (<i>M. Galdi</i>)	3, 21
De poëtarum elegiacorum comparationibus (<i>A. Aureli</i>):	
Nix, Glacies	27
Mens, Somnus	40
Amor, Matrimonium	41
Parentes et liberi	59
Eloquentia	92
Ars medica, Ars magica, Ars musica, Ars pingendi	93
Ars statuaria	94
Artes fabriles	111
Aurum et argentum, Ferrum, Ebur	164
De certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXXII	96
De latinae linguae studio apud Seminaria (<i>Alma Roma - I. F.</i>)	129, 145
De latinae linguae studio apud seminaria - Animadversiones novae (<i>A. Aureli</i>)	182
In «Nova tentamina poëtica» Fr. Xav. Reuss (<i>M. Galdi</i>)	131
Vide etiam <i>Epistolare Sociorum commercium</i> .	

Oeconomicae et Sociales quaestiones.

Pro puellarum institutione (<i>M. Galdi</i>)	91
De Iudeis novum sibi imperium affectantibus (**)	
.	109
Pro pueris in Russia degentibus (<i>I. B. F.</i>)	163

Philosophia ac Theologia.

De Sanctissima Eucharistia unitatis et pacis principio (<i>E. Hugon</i>)	73
--	----

Pius XI P. M.

Pio XI Summum Pontificatum ineunti, dedicatio	21
A Benedictio XV ad Pium XI P. M. (<i>Alma Roma</i>)	22
«Alma Roma» ad pedes Pii XI P. M. (<i>I. F.</i>)	127
Vide etiam <i>Carmina, Roma Sacra</i> .	

Pro iunioribus.

De bellis Punicis et Macedonicis, quae gesta sunt ab anno a Chr. n. CCLXIV, ad annum CXXVIII (<i>A. Haberl</i>)	47
De primo bello Punico, quod gestum est ab anno CCLXIV ad annum CCXLII a. C. n. (<i>A. Haberl</i>)	87, 104, 119, 139
De iis quae inter primum et secundum bellum Punicum gesta sunt (<i>A. Haberl</i>)	158
De secundo bello Punico, quod etiam Hannibal bellum vocatur (<i>A. Haberl</i>)	175, 189

Roma Sacra.

	PAG.
Benedicti PP. XV obitus	32
Novi Pontificis electio	35
Ex Congregatione S. Officii. Librorum prescriptio	51, 68, 121
Ex Commissione Pontif. ca de re biblica	51
Ex Congregatione de Religiosis	68
Ex Congregatione Rituum	122
Ex Pontificia Commissione ad Codicis I. C. canones authenticæ interpretandos	122
SS. D. N. Pii PP. XI allocutio habita in Sacro Consistorio d. xi mens. Dec. MCMXXII	191

Scenicae fabulae.

Leo IV. Actio dramatica (<i>I. B. Francesia</i>)	
18, 36, 54, 72, 108, 126, 144, 162, 180, 196	

Vacui temporis hora.

Ruit hora!	16
Descriptio Vaticanae S. Petri basilicae	52
Nasorum studium	69
Silentii curatio	70
De scribendi instrumentis tum antiquis, tum recentioribus	88
De rosa	105
Rosa Sinensis - Caryophyllus	122
Texturae singulares	141
Universalis domus	177
Cantiuncula, vulgo Lallatio, de Christi Nativitate	193
Iosephi Berneri carmina ludicra:	
Anseris ludus	16
Pontificius equitatus	52
De elephante varios ludos per Urbis plateas faciente	89
Digitorum dimicatio	106
Magni globi ludus	123
Augustales feriae	142
Alaudarum venatio	178
Iocosa 17, 53, 70, 90, 107, 125, 143, 161, 179, 195	
Aenigmata 18, 53, 70, 90, 107, 125, 143, 161, 179, 195	

Varia.

Nobilis rerum expositio, quae ad Magellanicas terras pertinent (<i>I. B. Francesia</i>)	29
De arte vivendi diutius (<i>Subalpinus</i>)	48
De Italorum colonia apud Tontitown in America septentrionali (<i>I. B. F.</i>)	65
Floralia: De anemone (<i>Anonymous</i>)	138
De ranunculis - De lilio convallium (<i>Anonymous</i>)	173
De gelsimino (<i>Anonymous</i>)	188
Vide etiam <i>Vacui temporis hora</i> .	
Ex Polonia (<i>Ioan.</i>)	151, 169, 186
Lepidissimus error (<i>Subalpinus</i>)	160
Describitur umbella (<i>I. Tasset</i>)	161